

Alte Drucke

**ELEMENTORVM || RHETORICÆ || CES LIBRI DVO: || RECENS
RECOGNITI || AB AVTHORE || Philippo Melanthane. || His
adiectæ sunt Epistolæ contrariæ, PICI & ...**

Melanchthon, Philipp

Witebergæ, 1593

VD16 ZV 30869

HERMOLAVS BARBARVS Joanni Pico S. D.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150024

HERMOLA VS BARBARVS

Joanni Pico
S. D.



VM VIDEREM TE

incredibile quodam studio omnium
optimarum artium flagrantem, ad
vstitatam doctrinam tua sponte vete-
rem Philosophiam atq; eloquentiam
adiungere, scripsi nuper ad te, barbaros Philoso-
phos vituperans, vel vt te ad meliora studia excita-
rem ~~creūdoz~~, vt dici solet, vel vt gratulaver ad
optima tendenti. Itaq; cum tuum mihi de studijs iu-
diciū non sit ignotum, etsi literæ quas modo ad me
dedisti, à mea sententiā disidere videntur, tamen
aded mihi non fuerunt ingratiæ, vt magnæ etiam vo-
luptati fuerint, ed quod non absurdam tuæ erga me
benevolentie significationem habent. Non enim
dubito, quin singulari erga me amore adductus, hoc
certamen instiueris, non vt inscitie quorundam pa-
trocinareris, sed vt me ad hanc rationem, quam pro-
bo, magis ornandam accenderes. Vtinam verò Pice-
tā facile id possim, quā facile erat Socrati Glau-
conis orationem, qui iusticiam vituperantem refelle-
re. Sed

te. Sed

re. Sed hoc nostrum certamen iniquè comparatum est. Etenim cum eloquentia summis eloquentiæ viribus abs te accusetur, patronus ei facundior dandus erat. Ego autem & copia & ornamentis orationis omnibus abs te longè superior. [r] Quare optarim te hanc tuam vim atque vbertatem in altera parte experiri maluisse. Nam mihi (vt scis) bellum est aliqui & auctorior cum hostibus rectorum studiorum, qui ei si hoc armorum genere, quo tu vteris, non sint instructi, tamen acerrimè pugnant odio, pertinacia & multis artibus omnis generis. Hos non velim vel autoritate nominis tui armari, vel armis tuis aduersus præstantissimas artes instrui. Quod si tuas copias nobiscum coniunxeris, confirmare ausim, nos breui te velut Camillo duce rem Romanam, depulsis Barbaris recepturos, ac suum artibus decus redduros esse. Ego tamen ne modo, aut tuæ voluntati, aut causæ publicæ desim, breuiter ad ea quæ scribis, respondebo. Nam si tantam causam complecti to-

**Exaggerat
causæ mag-
nitudinem.**

tam vellem, multis voluminibus res agenda esset. Que enim materia locupletior existere potest, quam dicere de dignitate atq; vtilitate eloquentiæ? quantum in religionis ac reliquis artibus errorum hac vna ex re extiterit, quod dicendi exercitationes neglectæ atq; intermissæ sunt. Deinde quod fuerit argumentum vberius, quam si collatio institueretur veteris Philosophiæ & huius nuper natæ Sycophantice, quam Barbari isti pro Philosophia profiten-

dur. Atque hæc si quando rursus ocium mihi Res-
 pub. concedet, instituere decreui. Nunc diluam
 quadam præcipua argumenta tuæ Epistolæ, non
 tanquam cum aduersario dimicans, sed ἄλλο παθῶν,
 velut tecum confabulans. Cum autem in oratione
 tua duo sint loci præcipui, nam & absolutam rerum
 scientiam Barbaris tribuis, & contendis iure eos
 Eloquentiam aspernatos esse, sequar tuum ordinem,
 ac de eloquentia dicam antea, quam ed dicis in Phi-
 losophis non esse requirendam, quia tantum sapien-
 tiæ cum Eloquentia dissidium est, vt coniungi vitan-
 que nefas sit. Quis non videt te in materia noua at-
 que absurda ludere voluisse? [u] Nam cum hæ
 duæ virtutes hominis propriæ sint ac summæ, mente
 res bonas perspicere ac videre, easq; dicendo expli-
 care & ostendere alijs posse, paradoxum affers ini-
 tio Orationis tuæ, quod cum ipsa natura pugnat, ne-
 fas esse sapientiæ Eloquentiam addere. Nam vsus
 sapientiæ planè nullus fuerit, nisi sapienter delibera-
 ta atque cogitata communicare alijs possimus, quæ
 cum sine magna quadam copia & varietate oratio-
 nis fieri non queat, virtutes Fice, quas natura ma-
 ximarum utilitatum causa, copulauit, distrahis. At-
 qui sapientissimus Poëta Homerus vtriusque vir-
 tutis laudem ei viro tribuit, in quo sapientissimi
 Principis exemplum pingebat. Inquit enim de
 Vlysse, οὐδ' ἐν ἑὶ μὲν λογφῆν ἐπέων, ἐν δὲ Φε-
 ρες ἐδλοῖ. Atq; idem Poëta Nestori tribuit ora-
 tionem melle dulciorem, cuius in dicenda sententiæ

Partitio
 quæ sit sum-
 ma contro-
 uersie, Pro-
 positio.

sapientiam ita prædicat Agamemnon, vt magnopere plures sibi consiliarios istius similes optet. [x] Quod si nefas est, vt tu defendis, coniungere hæc qui dicis eloquentes omnes sine mente, sine pectore esse, stultos fuisse omnes, quorum eloquentia laudatur? Vlysem, Nostorem. Deinde principes illos Rerumpublicarum, qui suo consilio, autoritate, ratione, maximas res gubernarunt, Solonem, Periclem, Demadem, Demosthenem, Ciceronem, Casarem, Octavianum, & innumerabiles alios, quos, si nulla societas est sapientiæ cum eloquentia, condemnas stultitiæ omnes. Constat enim hos fuisse eloquentissimos. Quid de Philosophis veteribus iudicandum erit? Dicemus ne hos fuisse indoctos, quia non sunt inconfusè, sordidè, atq; inquinatè loquuti. Platonis tanta est eloquentia, vt Græci dixerint, Iouem, si velit de rebus diuinis differere, vsurum esse Platonis oratione. Tanta est enim copia, tanta grauitas, tantus splendor verborum & sententiarum, vt verius diuina quam humana vox æstimari debeat. Aristotelis oratio etsi breuior est, tamen & propria & pura est, & ita abundat quibusdam suis luminibus, vt Cicero eam dixerit, similem esse flumini aurum vehenti, & interdum adeo dulcis est, nihil vt possit cogitari dulcius. Vide autem, quam sit iniustum adinere sapientiam summis illis principibus & Rerumpub. & doctrine. Per me liberum est tibi, & amare & mirari ingenia Barbarorum, [y]

Sed

Sed si hoc tibi concedi postulas, vt præferamus istos summorum hominum ingenijs, nullam aliam ob causam, nisi quia spurcè locuti sunt, etiam atq; etiam videndum tibi erit, vt sententiã non solum absurdam, sed penè crudelem audiri, verecundè tueri possis. Ac fortassis aliquam excusationem res haberet, si sine contumelia eloquentiæ Barbaros defenderes, ac tribueres eis suam quandam laudem diligentia, ac prudentia in rebus querendis ac iudicandis, & fatere-
 ris defuisse aliquid vel ipsis vel temporibus. Quid enim mirum est, desiderari aliquid in hominibus, cum paucissimi sint artifices boni omnibus atatibus, etiam in leuioribus artibus, tantum abest, vt in hoc summo genere pariter excellere possint omnes. Sed tu ita defendis istos, vt eloquentiam ipsam insecteris, & planè indignam bonis ac sapientibus viris esse contendas. Itaq; etsi postea ostendam non solum dicendi ratione Barbaris defuisse, sed etiã alia, quæ tu tribuis: tamen nunc nihil de isto genere scriptorum dicam, ipsius eloquentiæ patrocinium suscipiam. Tota enim oratio tua, non tam defensio est Barbarorum, quàm eloquentiæ vituperatio. [2] Disputas enim eloquentiam esse accersitum ornatum & fucum, qui adhiberi soleat aut voluptatis causa, aut etiam ad fallendos homines. Rhetorum dicis esse mentiri, circumuenire, & nescio quibus præstigijs animos decipere. Si non intelligunt isti tui scriptores, aliud esse eloquentiam, quàm huiusmodi fucum, planè iam detrahenda erit eis Phi-

loſophiæ cognitio, quam præcipuè ſibi arrogant. Non enim perſpiciunt, eloquentiam peculiarem vim ac virtutem eſſe, uirtutis alicuius cauſa datam hominibus, deinde non rectè definiunt, quod dialecticis, quales ſe eſſe proſtulerunt iſti, turpiſſimum eſt. Nam eloquentia non eſt (ut iſti ſomniant) accerſitus cultus, ſed eſt facultas propriè ac dilucidè explicandi animorum ſenſa ac cogitationes, qua in re etiam dignitati & ueritati ſeruiendum eſt, ut apta & recta dicantur, & ut amplificentur res magnæ & eleuentur ea quæ abijci prodeſt. [A] Itaq; ut pictoris finis eſt, verè ac propriè imitari corpora, quod quàm difficile ſit conſequi, non eſt obſcurum experienti: Neque ars tantùm, ſed etiam magna colorum uarietas atq; diſtinctio ad id requiritur: Ita Rhetoris ſuauita uocari mauis, eloquentiæ finis eſt ipſas animi cogitationes, quaſi pingere & repræſentare propriis & perſpicuo ſermonis genere, qua in re cum elaborabit, magna ei uarietate quaſi colorum, uerborum, ſententiarum & figurarum, deniq; etiam arte quadam opus erit, ut ego quidem ſtatuo, multò maiori, quam conſummati & perfecti pictoris ars eſſe poteſt uilla. Tota igitur nobis de definitione controuerſa eſt, quid ſit eloquentia, aut certe de fine, quem ad uſum hominibus eloquentia conſeſſa ſit. Hac de re ut omittam ea, quæ ſunt apud Rhetores, communem ſenſum conſulito, aut certe Philoſophorum principes Platonem & Ariſtotelem, quorum

alter in phædro, sapienter & copiosè disputat, & quid sit eloquentia, & quàm necessaria sit ad diuinas & humanas res explicandas. [B] Quanquam haud scio, an Barbari isti ne locum quidem dent Platoni inter Philosophos, sed Aristoteles in Rhetoricis eadem scribit. Deserviunt igitur eloquentiam hi Philosophorum principes, vim esse diuinitus hominum generi concessam, vt de magnis & necessarijs rebus, de religionibus, de rerum cælestium atq; aliarum natura, de iure ac iusticia, de omni virtutis officio, propriè & perspicuè docere alijs alios possint, Nec sine causa dictum est, homines ante dispersos ac vagabundos in agris, eloquentia congregatos esse, ciuitates conditas, iura, religiones, legitimas nuptias, & cætera societatis humanæ vincula constituta esse. Hæc enim profecto tenentur oratione in ciuitatibus. Hanc vim diuinam, tam necessariam humano generi nihil putemus esse, nisi ludum ac præstigijs, quemadmodum scribit & Ego verò non dubito ingratiitudinis atq; impietatis ac cusare omnes, qui eloquentiæ beneficia non agnoscunt. Atq; illi ipsi Philosophi, quorum sequor autoritatem, admonent in obscuris & grauibus causis explicandis opus esse, non solum prudentia magna quæ res bonas præuidet, sed etiam via quadam & ratione docendi, & genere sermonis, quod res de quibus dicimus plane exponere & subicere oculis hominum possit. [C] Itaq; duas artes constituerunt inter se cognatas, Dialecticam & Rhetoricam, quarum altera

docendi viam monstret, altera doceat, quo verborum genere res exponendæ sint. Quis autem non videt hæc inter se natura coniuncta esse? Quæso enim, si de religionibus docendi sunt homines, si in iudicijs res obscuræ & intricatæ iudici demonstrandæ, num hæc fieri, primùm sine via docendi, deinde sine magna copia, varietate, ac luminibus orationis existimas? [D] Erras si doceri posse homines credis hoc genere disputandi, quo isti Barbari in scholis vtuntur, quod non solum populus, sed ne ipsi quidem initiati, vt ita dicam, inter sese intelligunt. Etenim non solum genus verborum nouum est ignotum populo, sed ita confusa sunt omnia, vt velut in labyrintho neq; initia neq; exitus rerum deprehendi possint. Et subinde fingunt noua ac prodigiosa somnia & verborum portenta, quibus cum res nullæ subsint, intelligi nihil potest. Falsum enim est, vt Philosophi dicunt, ἀνακατάλητον. Itaq; semper, cum inter se rixantur, videre licet ipsissimam imaginem illius iudicij, de quo est prouerbium. Δυσκώφω δύσκωφον εὐρίπτεον. Et quoniam quedam picturæ atq; eloquentiæ similitudo est: vt enim pictura imitatur corpora, ita oratio pingit ac reddit animi sententias, libenter ab illa arte mutuamur exempla. Quæso te, num eiusmodi picturam, probare possis, in qua formæ confusæ ac monstruosæ nihil certi significant aut ostendunt spectatori. [E] Talem Tabulam quis posset æquo animo aspicere? Similimum autem est huic picturæ genus dicendi

dicendi in Barbaris. Sed vt illius monstrosa pictura, nullus est vsus, ita hæc obscura oratio, quam habet utilitatem in Republica? in docendis hominibus? in regendis & explicandis religionibus? in iudicijs exercendis? deniq; in hac tota vita publicè ac priuatim gubernanda? [F] Quare constituamus, id quod res est, elocutionem non esse inanem cultum, sed necessarium ad causas omni generis verè ac propriè explicandas: ac Rhetores esse, non, vt tu dicis, ludere ac mentiri, sed de maximis rebus verè docere homines qui etsi interdum in difficilibus causis, figura aliqua vtitur, & vt tuo vtar verbo, decipit auditores, id non minus ad officium eius viri pertinet, qui domi Respublicas gubernat, quàm ad imperatorem pertinet, arte hostes circumuenire. [G] Hunc enim virum, qui de bonis ac necessarijs rebus rectè, dilucidè & cum dignitate quadam docet homines, Oratorem nos vocamus, quem tu Philosophum velis vocari, nondum satis intelligo. Equidem Philosophum voco eum virum, qui cum res bonas atq; viles humano generi didicit ac tenet, doctrinam ex schola atque umbra ad vsum & Rempublicam transfert, docet homines aut de natura rerum, aut de religionibus, aut de regendis ciuitatibus. Deinde vt maxime Oratorem tantum reijcias in forum, tamen eas Philosophie partes illi, quos tu defendis, susceperunt, quæ sine eloquentia lumem habere nullum possunt [H] Primum enim etsi non est vna orationis forma, tamen si animorum no-

strorum cogitationes alijs communicare voluerimus, utendum erit certo quodam genere sermonis, quod verbis notis & recte iunctis, integre atq; ordine res de quibus dicimus, exponat. Id commune esse debet in omni orationis forma. Nam etiam illæ artes, quæ propemodum videri mutæ possunt, Arithmetica & Geometria tamen non possunt percipi, nisi proprijs verbis, & via ac ratione quadam tradantur. Cæteræ verò partes Physicæ, Ethicæ & Theologicæ materia, erui atq; illustrari sine eloquentia & sine ijs artibus, quas eloquentia continet, nullo modo possunt. Porro tui illi magistri, Thomas ac Scotus, promittunt nobis perfectiss. doctrinam de religione, deq; omnibus vitæ officijs, quod prestent, postea dicā, nunc tantum de genere orationis discepto. Quid autem potest fingi stultius, quàm quòd sine eloquentia ecclesiarum doctores ac vitæ duces perhiberi volunt, ac ne quidem quid sentiant ostendere possunt? In singulis artibus quædam propria sunt artificum vocabula. Quare Philosophis ac Theologis etiam suæ quædam vocabula, vt Architectis ac pictoribus, concedi æquum est. Sed interim reliquus sermo constare vsitatis ac notis verbis debet, oportet & in iungendis verbis imitari consuetudinem. Hæc non sunt apud istos. Deinde non solum habent errata Grammatica, sed neq; sententias absoluunt, atq; iudicium neq; ordinem in explicando adhibent. Postea amissa loquendi diligentia, rerum etiam iudicium amiserunt. Fin-

xerunt

xerunt enim vna cum monstrosis vocabulis inexple-
 cabilia somnia, quibus vniuersam Philosophiam ac
 Theologiam obruerunt, ita in istorum doctrina vere
 sunt, vt Græci dicunt *πάλαια πικρά νόσος*. Quare non
 solum populus, sed ne ipsi quidem, quod est vel ma-
 xime ridiculum, suas disputationes intelligunt, ac
 solæcizant, non vt [1] Anacharsis Athenis, vt
 tu dicis, sed in suis scholis. Venio nunc ad aceruum
 [K] similitudinum tuarum, quæ detrahunt Philo-
 sophiæ, non vt tu ratiocinaris, eloquentiam, hoc est,
 verum colorem orationis, sed ineptum ornatum.
 Virginem non decet fucus, ac ne monstrosa facies de-
 cet. Quid autem monstrosius est Barbarorum oratio-
 ne? Nam ea oratio quæ est optima, natiuus sen-
 tentiæ color est. Aliena, confusa & perturbata
 oratio deformat & corrumpit sententiâs, ac ne ef-
 fingit quidem, quod debeat esse orationis officium
 proprium. Sed sermonem inquis, non aspernor, or-
 natum non requiro, vt in matrona simplicem cultum
 probamus. Nec Cicero quidem plus requirit à Phi-
 losophis, quam purum sermonem aptè ac dilucidè res
 explicantem. Sed hæc facultas hoc modo dicendi,
 & præcipua eloquentiæ pars est, & ab arte pluri-
 mum sumit. Requirit enim summam prudentiam
 in rebus inuestigandis atq; collocandis, copiam verbo-
 rum amplissimam, iudicium acerrimum in delectu.
 Nam cum duæ sint propemodum orationis formæ, te-
 nuiter altera, altera grandior, non ita multum posse-

rrior dissimilis est, priori, nisi quædam figuras & amplificationes crebrius adhibet. Itaque prior formam, quæ verecundior est, disputationibus putant accommodatorem esse, et si in tanta rerum varietate, multa in Philosophia incidunt, de quibus etiam grandiore quodam sono dicendum est, ut proprius aspectus rerum magnitudo possit. Itaque et si Aristoteles & Cicero in disputationibus priore genere utantur, tamen interdum assumunt etiam alteram formam, qua quidem Plato vbiq; propemodum utitur. Porro si Philosophiæ etiam priorem illam formam detrahas, planè mutam reddideris. Quid enim explicare poterit, si ne proprio quidem & perspicuo genere orationis utetur? Neque, verò quisquam sine optima doctrina, sine acerrimo studio, sine longa exercitatione, illud ipsum genus, quod indocti omnibus in manu esse putant, consequi potest. [L] Pictorem memini nostræ ætatis Apellem, cum mihi cupide audienti commemoraret & adolescentiæ studia, & quem sibi postea scopum artis proposuisset, quo quasi directam manum haberet, dicere, se adolescentem in pictura mirificam quandam ac penè prodigiosam varietatem amasse gestuum atq; ornamentorum omnis generis. Nunc sententem se consulere naturam, in hanc intueri, ut eam quam proximè & propriissimè exprimeret, neque se quod cuperet, assequi: quia hac proprietate nihil difficilius sit. Neque, verò facilius est negotia verbis propriè quam naturam coloribus pingere. Itaque Hora-

tius significat, quantum hæc res habeat difficultatis cum ita iubet scribere, vt sibi quibus

Speret idem, sudet multum, frustra, laboret, Ausus idem; tantum series iunctura, pollet. Tantum de medio sumtis accedit honoris.

At ego ita statuo, magnos Oratores, qui Respub. gubernauerunt, quos accepimus præmetientes dicendi pericula, incredibili quodam metu ad dicendum accessisse, non de ceteris ornamentis, sed de hac propria rerum explicatione sollicitos fuisse, quam experiebantur esse difficilimam. Periculum aiunt, cuius, tanta fuit eloquentia, vt tonare ac fulminare dictus sit, cum ascendit in concionem, precari solitum, ne quod sibi verbum exciderit, quod cause obesset. Sæpe etiam Cicero significat, se cum timore summo, ad dicendum accedere, cuius rei vel hoc argumentum esse potest, quod aliquando ita lætatus est iudicij die prorogato, quod ei de causa intricata dicendum erat, vt seruum id renunciantem libertate donauerit. Vidi ipse homines eloquentissimos natu grandes, cum dicere iussi essent, toto corpore perhorrescere. At qua de re angi putemus homines peritissimos, num de flosculis orationis, aut accersito cultu, vt tu iudicas? Imo verò de propria rerum explicatione solliciti sunt, ne quid excidat quod dici refert, ne quid alieno loco dicatur, ne incurrant in verba, quæ officiant aut cause aut ipsorum existimationi. Deniq. innumerabilia pericula sunt. Hoc minimi negotij est bonis inibus

copiosis atq; exercitatis, insignes aliquas figuras addere. Præcipuus ornatus est ipsa rerum propria explicatio, ut in picturis iusta corporum lineamenta. Et tamen sæpe magnitudo rerum postulat, aliquid vel attoli vel abijci, quod etiam facere, natura cogit rursus illos Barbaros. Vides enim in illorum scriptis & sermone, crebras amplificationes, sed dii boni, quam insulas. Quantò veriora & aptiora dicerent, si studium hoc non essent aspernati. Demus igitur Philosophis verecundam orationis formam, modo ut res dilucide, verbis notis, rectè iunctis, ordine distributis, integrè explicet. Benè olere mulierem ait Plautus, quæ nihil olet: Talis oratio etiam delectat sanæ ingenia nec solum in scholis ac disputationibus laudem habet, sed etiam in foro multi hæc vna forma contenti fuerunt.

Et talem nobis oratorem Homerus Menelaum describit, quem ait solitum dicere *παῦρα μὲν ἀλλὰ μάλα λιγύως, ἐπὶ δὲ πολύμυθον οὐδ' ἀφαιμαρτοπέης*: Tribuit enim ei & proprietatem & suavitatem. Has virtutes consequi Philosophum, si velit intelligi, oportet. Quantum autem ò dii, absunt ab illo Homericæ Menelao vestri Barbari, qui cum ea de re, quam suscipiunt, vix unquam quicquam dicant quod faciat *πῶς ἐπ*: tamen plerumq; extra causam sunt loquacissimi ineptiarum pleni. Ac Cicero expressit, nobis formam illius proprii Oratoris ac *λιγύως* dicentis, in libellis de natura Deorum & alijs.

alijs Philosophicis disputationibus. Expressit & eam
 multis in locis Aristoteles. [M] Verum non est, in-
 quis, Philosophi seruire voluptati. Vitam Pice adeo
 contemnerent Theologi tui voluptates ceteras, vt
 orationis munditiam aspernantur. [N] Quanquam
 autem nulla voluptus homine liberaliter insituro
 dignior est, quam hac. Nulla est enim harmonia dul-
 cior ac naturæ hominis convenientior, quam oratio
 rerum bonarum plena & compositione concinna: ta-
 men hic non disputo, ornatum voluptatis sed neces-
 sitatis causa adhibendum esse. [O] Non enim doceri
 de magnis rebus homines possunt, nisi & genus ser-
 monis purum, & via quædam, & ratio explicandi,
 & cætera quæ in artibus traduntur, adhibeantur.
 Quod verò addis, Bacchanalia in Vestæ sacris age-
 re Philosophos eloquentie studiosos, dicam simplici-
 ter quod sentio, stomachum mihi mouit. Quæ enim
 voluptas est contumelia afficere, cum ipsam Elo-
 quentiam, tum verò Philosophiæ Principes? Num
 Plato, Aristoteles, Cicero videntur tibi Bacchana-
 lia agere, idq; in sacris Vestæ? Num videntur tibi
 cines, quia non sunt spurcè locuti? Et quidem Plato
 longè omnes vincit tum Græcos tum Latinos Orato-
 res, copia & splendore orationis. Scythia quidam,
 cum apud Græcos Musicum audiret suauissimè ca-
 nentem, inquit, malle se audire hianientem equum.
 Satis hic quidem Scythicè, sed his Scythicum fue-
 rit, nihil affici suauitate orationis summorum

autorum, qui Philosophiam nobis pepererunt. [P]
 Tu verò etiam furere eos dicis. Non satis attendis
 Pice quam sustineas personam. Cum enim profitear-
 is, te Philosophiæ ac veritati patrocinari, minime
 ea fide ac simplicitate causam agis tuam, quam Phi-
 losophis tribui postulas. Quorsum enim pertinent
 tam multæ similitudines tuæ undique collectæ? quæ
 non solum extenuant eloquentiæ dignitatem, sed pla-
 nè iubent velut pestem fugere, nisi vi fucum lectori
 faciant, ne eloquentiæ dignitatem aspicere possit?
 Quæso te utrum hæc Rhetorica sunt, an sophistica;
 Certè à viro Philosophico non aptè dicuntur. Quid
 enim facies Theologi facundioribus, Paulo, Basilio,
 Hieronymo? Num hi quoque, Bacchanalia agunt?
 [Q] Sed desino has similitudines tuas excutere, in
 quibus hoc commune erratum est, quòd elocutio-
 nem iudicas esse delicias quasdam non ad utilitatem
 ac necessitatem comparatas, nos contra ornatum
 præcipuum esse, propriam rerum expositionem. Et
 tamen in tanta rerum varietate multa esse, quibus, ut
 conspici eorum magnitudo possit, nitor quidam ad-
 hibendus sit, in quo etiam necessitatem sequimur. Ser-
 uimus enim dignitati & magnitudini rerum. Ne-
 que ego cum ornatu laudo, illa orationis flagitia pro-
 bo, quæ tu commemoras, cum de affectatis lenoci-
 nijs declamitas, qualia deprehenduntur in Apuleio,
 qui nihil propriè dicit, sed habet perpetuas Peri-
 phrases & Metaphoras. Idque peccat Philosophus. Nec
 multò

multò secus Barbari vestri rhetoricantur. Quantò prudentius Rhetores? In quibus tu orationis delicias in crimen vocas, cum nulli magis afferrentur ambitiosum & inanem cultum, nulli dicunt castius, quam hi, qui ad rectè dicendum his exercitationibus assuefacti sunt. At velut in rosis candor, ita in oratione Philosophi simplicitas quædam insit nativa. Et ut purpureæ rose Veneris sanguine consperse dicuntur, ita ornamenta sint non prodigiosa, sed venusta ac suavia, qualia sunt in Ciceronis disputationibus, sæpe etiam in Aristotelicis: ut verè possis dicere, Ambrosio conspersas esse. Sed magnis exemplis Barbariem iueris. Cultus deest inquis in sacris literis. Verùm longè dissimilis est oratio in tuis Barbaris, qui planè nouum sermonis genus condiderunt. Prophetæ in sua lingua non loquuntur vitiosè & voluerunt intelligi, quidam etiam satis ornati sunt. Davidis enim carmen, ut in ista lingua, verè Atticum est, Apostoli verbis bonis vtuntur. Paulus verò etiam adhibet in disputando artem, & quædam ornamenta. Deinde cur diuinitus additum est Euangelio donum linguarum, si eloquentia inutilis est, ad res sacras & magnas exponendas? [H] Quid enim aliud est donum linguarum quàm eloquentia, hoc est, facultus planè & copiosè res obscuras explicandi? Atq; hic accusandi erant tui magistri, quod cæleste donum non conseruauerunt, quod linguarum studia, quæ antea in Ecclesia colebantur, nouo doctrinæ genere oppresse-

oppreſſerunt: Pythagoram etiam allegas, qui myſte-
ria texerit inuolucris. Fortaſſe illi expediebat tege-
re quaſdam ſententias, quas docebat contra publi-
cas per ſuaſiones. [S] Nos verò non loquimur de
arcanis, que pro tempore occultanda ſunt, ſed de
illis que efferri atq; extare oportet, que pars multò
maxime eſt in doctrinis. Deinde & Symbola & A-
pologos conditos interpretor, non hoc conſilio, vt
præcepta tezerent, ſed vſſent velut morum piclura
vtilis ad excitandos animos, ad admirationem.
Natura enim & amamus & admiramur picluras.
[] Sed prædicat Ariſtoteles ſua ſcripta, eſſe exta-
rent, tamen non extare. Ille verò non hoc ſenſit
ſe de industria tenebras offudiſſe lectoribus. Nam
plerique libri valde perſpicui ſunt. Duas enim res
adhibet, que perſpicuitatem imprimis efficiunt, me-
thodum videlicet & genus orationis proprium. Nec
verò methodum tanta diligentia ſecuturus erat, ſi
de industria res obſcurare voluiſſet. Verùm vidit ſua
ſcripta non eſſe intellectuſos, niſi qui liberaliter in-
ſtituti eſſent. Eius iudicij multæ ſunt cauſæ. Deter-
rebat igitur à ſuis ſcriptis homines ineptos, qui im-
parati ad ea irrumpebant, quo in genere non leuiter
etiam peccauerunt Barbari tui, qui nulla inſtructi li-
berali doctrina, proſtrentur ſe Ariſtotelis interpre-
tes eſſe. Poſtremò etiamſi Ariſtoteles interdum oneri
cedens, vt fit, non ſatis commoratur in aliqua re ex-
plicanda, non ſemper quid quiſque artifex effecerit,
ſed

sed quid requiratur spectandum est. Quis autem est lector qui non optet ubiq; summam esse perspicuitatem? Postremo etiam Philosophari incipis. [1]

Vocabula non natura constant, au, sed hominum arbitrio, licuit igitur eis condere nouum sermonis genus. Quid audio? Si hoc semper licet, quomodo contrahent inter se homines? quomodo docere alij alios poterunt. Sed omitto hæc quæ leuiores sunt quam vt diluere opus sit. (V) Venio ad alteram partem tue dissertationis, in qua arrogas Barbaris verum scientiam, & quidem eloquentibus detrahis. Cum autem de eloquentia responderim, non quantum magnitudo rei postulat, sed quantum vel potui, vel Epistole modus patiebatur, de altero etiam breuius dicam, etsi hæc disputatio multò maior ac difficilior est de toto genere doctrinæ in istis tuis autoribus. (X) Atque initio Lucretium & Scotum committis. Est autem iniquum cum de genere dicendi controuersia sit materias conferre, neq; enim adeo amens sum, vt inanem loquacitatem pluris faciam, quam sapientiam, Verùm hoc defendo, eloquentiam ad res magnas parafaciendus necessariam esse. Deinde cur non opponis Scoto Theologum aliquem, videlicet Hieronymum? Vter de Ecclesia melius meritus videtur? iste ne cuius eloquentia lumen attulit sacris libris, plerag; dogmata diligenter explicauit? an verò Scotus, qui cum nullò dogma illustrant, nugacissimas dissertationes in Ecclesia inuexit? Deinde factis inciuiliter, Pice, quod

quod Barbaris ita arrogas rerum scientiam, ut præstantissimis ingenijs Græcis & Latinis detrahas, qua in re cum modestiam desidero dignam Philosopho, tum verò etiam prudentiam. Vituperas quidquid est disertorum, Poetas, Oratores & Historicos. Hos dicis omnes amplexos esse eloquentiam sine sapientia, cum quidem hoc ad causam tuam nihil pertineret. Poteras enim [T] tui rerum scientiam sine horum contumelia tribuere. Sed sic solent rhetoricari, qui eloquentiæ studia vituperant. Obsecro te, nihil putas esse sapientiæ in Homero, Virgilio, in Demosthene, Cicero, in Herodoto, Liuiò, & cæteris, qui hos in scribendo imitati sunt? [Z] An non videntur hi tibi verius Philosophari, cum vel naturam rerum sapientissime describunt, vel summo consilio pingunt imagines omnium rerum, quæ vel in priuata vel in publica vita accidere possunt, cum præcepta & exempla vitæ ac morum vtilissima proponunt, quàm Barbari tui, cum rixantur, vtrum partes simul sumtæ distinguantur realiter à toto, & hoc genus infinita, non enim libet recitare. Quid? quod Oratores maximum vsum rerum afferunt ad scribendum, qui iudicia exercet atq; accit. Quare Philosophiam aptè ad vsum & ad communem vitam transferunt. Tui Philosophi in vmbra ne quidem vim præceptorum, de quibus rixantur, intelligunt. Sed longum esset de laudibus eloquentium scriptorum dicere, & non est necessarium.

Facile

Facile enim iudicari potest, abundare eos rebus optimis & ad vitam necessarijs, ac sumtis ex media Philosophia. Redeo igitur ad Barbaros, quibus equidem non detrabo in vniuersum rerum cognitionem. Ac minime vituperandos censeo Medicos, quorum ars exerceri sine magna eloquentia potest, tametsi doceri à disertis felicius queat. Deinde fontes sunt apud Græcos, nec opinor à posterioribus vinci Hippocratem & Galenum, aut acumine in inueniendo, aut diligentia in inquirendo, aut ratione, aut proprietate in explicando. Sed non disputas propriè de Medicis. Aristotelicos & Theologicos defendis, hos habes in delicijs, horum sapientiam admiraris. Neg, ego eos in totum doctrinæ laude sfolio, studium etiam & voluntatem laudandam censeo. Videntur enim Philosophiæ studia, quæ multis seculis conticuerant, rursus excitare voluisse. Sed si ita complecteris eos, vt inchoata studia absoluisse existimes, longè falleris. [a a] Mibi verò magna ex parte Philosophiam corrupisse videntur, idq; ob hanc causam præcipuè, quòd has dicendi exercitationes neglexerunt. Itaq; non solum genus sermonis, & vniuersæ doctrinæ formam (est enim confusissima) reprehendo, sed etiam magna ex parte res desidero meliores. Nam cum & genus sermonis non intelligerent, & artes non transferrent ad vsum aliquem, iudicio lapsi, multas absurdas opiniones genuerunt, quibus serè vniuersam Aristotelis Philosophiam penitus

minus obruerunt. Idq̄ testantur moles commentariorum, qui magna ex parte consumuntur in illa somnijs de natura communi, de hecicitibus, de distinctionibus, de primis & secundis intentionibus, de instantibus & similibus deliramentis. Vetus versiculus est, τὰ μὲν ὠφελῆτα μὴ πόνει παύτω. Sed hæc cum verè sint commentitia, non solum nihil afferunt utilitatis, sed nocent etiam, non solum, quia in his discendis temporis iactura faciendâ est, sed etiam, quia iudicia deprauantur. Quando satius erat præcepta simpliciter proponere & ostendere, quem vel in iudicanda natura, vel in negocijs, vel in moribus, & communi vita usum habeant, quomodo ea transtulerint ad usum magni artifices, quid hinc Poetae, quid Oratores, quid alij magni viri sumserint? Quantum flagitij est, quod ille nugæ etiam studia Mathematicum extinxerunt? Nosti enim scholarum morem. Præterea vix umbra Mathematicum est in Barbarorum scriptis. Omnia enim planiora atq̄ illustriora sunt apud Græcos, itaque excellentes nostra ætate Mathematici Græcè discendum putauerunt, ut germanam Ptolomæi sententiam, deinde ut Græcos interpretes in hoc genere consulere possent. Præclare inquit Plato de Mathematicum doctoribus, facile eas artes percipi posse, si doctor contingat idoneus, ἀλλ' οὐδ' εἰ διδάξοις, ἐκ μὴ θεὸς ὀφροῖτο. Negat ququam idoneum fore ad discendum, nisi Deum aliquem

quem ducem habeat, hoc est, nisi & singulari ingenij dexteritate præditus sit, & expeditam ac perspicuam docendi rationem teneat. Sed in Barbarorum scriptis ita perturbata & confusa sunt omnia, ut hunc ducem eis defuisse appareat. Quare gratulamur nostræ ætati, qua quidam & Græcis literis & eloquentia instructi, cum reliquam Philosophiam, tum etiam hanc partem repurgare atque instaurare ceperunt. Miror autem, cur Theologis tuis tantam Philosophiæ scientiam tribuas, cum à Mathematicis, que est hæud dubiè præcipua Philosophiæ pars, valde nudi atque inopes sint, quos quidem tu mihi producis, homines religiosos, satis Thrasonicè de se prædicantes. [bb] Viximus celebres, & vivemus non in scholis Grammaticorum, ubi de Niobes filijs disputant, sed in coronis Philosophorum, ubi humanarum & diuinarum rerum rationes quaeruntur. Vixerint sanè celebres. Non enim invidéo. Illud autem optarim de Niobes filijs eos nugatos esse potius, quàm illo modo luisse in Ecclesiastica doctrina, qui cum sacrarum literarum sermonem non intelligerent, cum nullam haberent antiquitatis noticiam, cum iudicij inopia veteres controversias ac sententias, non rectè acciperent multas sparserunt in Ecclesia impias & perniciosas opinioniones. Quàm sunt inepti, cum interpretantur Prophetas & Paulum? Qua in re in primis ridiculum est, homines Dialecticos, qui, in vna illa

arte consensissent, nusquam videre id quod erat Dialectici, quid proponat David aut Paulus, quæ sint initia argumentorum, qui exitus. Tales interpretes in sacris literis verè sunt οἱ ἐν μύθῳ, ut vulgò dicunt. Itaq; cum sermonem non assequerentur, novam quandam Theologiam architectari sunt. Centones scripserunt, quorum magna pars consuta est ex disputationibus puerilibus, quæ agitantur in ipsorum Dialectica. Tantra vis est consuetudinis, ut puerile studium ne sensus quidem deponere possint. Deinde assuunt pauca quedam dogmata Ecclesiastica, quæ non reprehendo. Sed quedam de maximis rebus scelestè corrumpunt ipsi, in quibus nec Scripturæ, nec Synodorum verba intelligunt, ac serunt impias & fanaticas opiniones. Reliqua est pars, quæ habet infinitas questiones, de humanis traditionibus, ut vocant, de quæ οὐδὲν ὕμῃς dicunt. Ac de toto hoc genere eorū n tutius erit disputare, vbi cum euolueris tuos magistros, res ostendet eos verius esse πῆχυν ἀνὰ πρὸς Φύσιν, quam ut tu putas, [c c] Alcibiadis Silenos. Quod autem eis etiam immortalitatem polliceris, ac victuros esse confirmas, melius ominari te velim, & Christianæ doctrinæ, & alijs honestis artibus. Eò vanitatis processisse disputatricem Theologiam omnes sani fatentur, ut reuocare ad fontes doctrinam Christianam necesse sit. Eam ad rem profutura sunt eloquentiæ studia, quæ si quando colere nostri homines incipient, spero Herculem aliquem

quem exoriturum esse, qui monstris illi orbem terrarum liberet, quiq; Philosophiæ & Christianæ doctrine nativum decus restituat. Atq; adeo ad hanc laudem expetendam, excitare te pice non desinam, quem & ingenio excellere, & doctrinæ veritate præditum esse, & ardere incredibili quodam studio veritatis inuestigandæ, & eloquentiæ ad res tantas illustrandas instructum esse video. Nam si est hominibus Philosophi, ut certè est in erudienda atq; parte faciendâ veritate benè mereri de toto genere humano, te verò Philosophiæ dediuum, in hanc curam maximè incumbere omni studio decet, ut collapsas artes instaures. Neq; verò meritum vllum maius aut gloriosius dicendum est inter homines, cum veritate nihil sit melius: Αληθεια γὰρ πάντων ἔστι ἀγαθῶν θεοῖς ἡγεῖται πάντων δὲ ἀνθρώποις, ut gravissimè dixit Plato. Ac iam quia specimen quoddam præbuidisti tuorum studiorum, in quo significas, pleraq; tibi in veteribus congerronibus tuis non probari, ac nouam quandam rationem, tum ad Philosophiam, tum ad Theologiam tractandam adhibes, magnam in spem eruditos omnes erexisti. Reliquum est, ut benè precemur tibi. Hæc tibi perscribenda esse duxi, non quòd arbitrarer de his studijs aliud esse tuum quàm meum iudicium, sed quod statuebam, gratum tibi officium meum fore, quoniam me, ad scribendum prouocasses. [ad] Quanquam, ut tu dicis, stomachum tibi mouere quosdam Grammatici-

stas, qui leniter degustatis primis artibus, præ se
 Philosophos contemnunt, ita ego multò iustius suc-
 censeo morosis quibusdam, qui cum veræ Philoso-
 phie infestissimi hostes sint, tamen Philosophie ti-
 tulo regnant, ac mirabili conspiratione, & odijs per-
 rinacissimis obsistunt, quò minus te florescere meliora
 studia possint. Scripsi igitur quadam hic asperius, ne
 isti me patrocinium nostrarum literarum abiectis-
 existimarent, quæ cum leges, boni consilio. Eui
 enim vehementior alicubi, istos animo intuens, cum
 scirem mihi hac de re veritas cum ipsis, quàm tecum
 certamen esse. Ut autem Stesichorum ferunt, cum
 Helenæ formam vituperasset, erroris penam cœci-
 tate dedisse, posteaquæ cum palinodiam caneret, oculos
 recepisse: ita te quoque, Deo gratum facturum stanes,
 si eloquentiam cœlo donatum hominibus maxima-
 rum utilitatum causa, cuius dignitatem prior episto-
 la extenuat, rursus ornes ac laudes. Id argu-
 mentum tua & persona & facultate
 copiâque dignum fuerit. Vale.

